



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XLV. De Reliquijs & Veneratione Sanctorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)



TITVLVS XLV.

De Reliquiis & Veneratione Sanctorum.

SUMMARIUM.

1. In Ecclesiis asseruantur Reliquia Sanctorum :
2. Quorum Canonizatio propria Papa,
3. Et nunquam communicata Episcopis fuit.
4. Ad Sancti Canonizationem non sufficiunt Miracula :
5. Sed insuper Excellentia vite probatio requiritur :
6. Nisi in Sanctorum numerum Martyr referatur.
7. Non canonizatus pro Sancto coli publicè,
8. Non etiam privatè, devotione prohibetur.
9. Vendi nequeunt Sanctorum Reliquia :
10. Nisi iuxta ornamentorum estimationem :
11. Quam, si pretium excedat, sero venditio,
12. Et aliquando etiam ostenso Reliquiarum Simoniaca est.
13. Ad Reliquiarum de novo repertarum cultum necessaria est Episcopalis,
14. Et aliquando Apostolica auctoritas :
15. Quam aliqui exigunt ad Reliquiarum translationem.
16. Verius ad hanc sufficit Episcopalis :
17. Si ea ex iustà causa & cum Capituli consensu fiat.

Sicut Eucharistia, Christa &c. in Ecclesiis custodiuntur, c. 1. de Calp. dia Eucharist. ita custodiri in iis & publicè venerationi exponi solent Reliquiæ Sanctorum : imò, in quibusvis altari Reliquiarum aliquid reconditum asseruari, est necesse, can. Placuit 3. dist. 1. de Consec. Ne autem Fideles in Reliquiis & Sanctorum cultu facile decipiantur, salubriter hic caveatur

Primò ; ne quis defunctorum, & etiam in Odium Fidei occisorum, pro Sancto publicè colatur : nisi canonizatus, hoc est, à summo Pontifice solemniter & canonicè, siue diligenti inquisitione super vita & miraculis præmissa, c. Venerabili 12. de Test. & attest. Sanctorum Catalogo fuerit adscriptus, c. 1. Quod statuendi ratio fuit primò ; quia Canonizatio est una ex causis Majoribus, quæ inter Christianos moveri possunt, Gloriam in c. Unie. V. Sedis in 6. ac proinde Sedis Apostolicæ reservatis, c. Majores 3. ff. de Baptismo ; ne, si Episcoporum examini & discussioni permittatur, Fideles obnoxii sint deceptioni & confusione : & facile contingat ; ut alii colant pro Sanctis, qui ab aliis tanquam reprobi designantur : sicut qui in potatione & ebrietate occisus refertur c. 1. cit. Secundò ; quia in Canonizatione faciendum est diligens examen Miraculorum, c. Venerabili

Venerabilis cit. in quibus præ cæteris Virtutibus operatur Fides, juxta illud Christi, *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicitis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit: & nihil est.* Matth. cap. 17. v. 19. & illud Apostoli, *Si habueris omnem fidem itas, ut montes transferas,* 1. Corinth. cap. 13. v. 2. Fidem autem examinare præcipuè ad sedem Apostolicam spectat, *can. Quoties 24. q. 1. & pr. cit.* Tertio; quia Sanctus per Canonizationem proponitur Fidelibus universis: quibus omnibus cum præsit solus Papa, *can. cuncta 17. & 18. & can. fin. 9. q. 3.* Sanctorum Canonizatio ad eum solum pertinebit: non etiam ad Episcopos, quibus plerique fideles impune non parent, *arg. c. Ut animarum 2. de Constitut. in 6. & l. fin. ff. de Jurisdic. Sylvester V. Reliquia q. 3.* Bellarminus *Lib. 1. de Sanctorum Beatitud. cap. 10.* Maluisius *de Canonizat. Sancti, dub. 2. n. 5.* Suarez *3. p. Tom. 1. disp. 55. s. 2.* & Fagnanus *in c. 1. cit. n. 20.*

3. Neque adversatur *pr. disp. 3. de Consecrat. & c. fin. de Feriis* verba, *Cæterisque solemnitatibus sive festivitatis, quas Episcopi in suis diocesis cum clero & populo duxerint solemniter venerandas:* quibus congruebat vetus mos Ecclesiarum pro Sanctis colentium, quos Episcopi cum clero & populo publicè venerationi proposuerunt. Non inquam doctrinæ illi hæc adversantur; quia imprimis Episcopi quidem indicere possunt Festa: sed non nisi de Sanctis à sede Apostolica aliquando approbatis; cum, licet à Papa Canonizati omnes colendi sint, non tamen omnium & singulorum festa in omnibus Ecclesiis colantur, *ut in c. 1. cit.* cum Hostiensis *n. 8.* & Joan. Andr. *n. 6.* adnotarunt Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 43. à n. 9.* & Fagnanus *n. 23.* Deinde; quia, pro Sanctis colentibus, etiam olim publicè propositi ab Episcopis sunt cum sedis Apostolicæ

approbatione, habente vim tacitæ Canonizationis, Bellarminus *cit. Lib. 1. cap. 8.* Demum; quia, licet olim aliquos publicè venerationi sine sedis Apostolicæ autoritate exposuerint, ea tamen expositio non vera Canonizatio, sed solummodo publicum quoddam, non tamen infallibile, de hominis sanctitate testimonium fuit; cum eos quasi Sanctos coli Episcopi solummodo permetterent: non veros Sanctos aut Beatos esse decernerent, antequam eos Sanctos declarari & Universali Ecclesiæ à summo Pontifice proponi vel saltem recipi: eaque declaratione, propositione receptione (quæ aliquando sine novo & solenni processu fiebat) verè canonizatos cernerent, ut eruditè ostendit Gonzalez *in c. 1. cit. n. 7.* Ratio autem, cur Episcopis defunctum (non solum verè canonizandi; quia hæc ipsis nunquam competeat) sed etiam publicè venerationi simpliciter exponendi potestas, quæ olim competeat, cum tempore omnino adempta sit, ea fuit; quòd, cum eà Episcopi non semper ita providè cautèque, ut rei gravitas poscebat, uterentur, aliquando etiam homines mali pro Sanctis publicè colerentur; quod incommodum indèque ortum scandalum ut tolleretur, Sanctum aut Beatum cælo receptum publicè venerationi exponendi potestas sedis Apostolicæ omnino infallibili & nulli errori obnoxio judicio est reservata, ut notat idem Gonzalez *n. 8.* Ubi

Dubium est, an ad aliquem canonizandum sufficiat, quòd de eo constet & probetur excellentia vitæ, hoc est, Fidei, Virtutum aliorumque meritorum. Certum est, non sufficere Miracula, partim; quia cum ista iisve similia prodigia aliquando faciant mali & peccatores, *can. Teneamus 1. q. 1.* quod *ibi* Glossa *V. Magi* luculenter demonstrat exemplò magorum Pharaonis, Judæ aliorumque reproborum

S s s s ;

borum: quorum inanis querela in Iudicio olim erit, Nonne in nomine tuo demonia ejecimus &c. Matth. cap. 7. v. 22. & ipsius Antichristi, quem talia patratum, docet S. Thomas 2. 2. q. 17. art. 1. partim verò; quia, ut dictum, in Miraculis præ aliis virtutibus operatur Fides, & quidem aliquando sine Charitate, ut insinuat S. Paulus 1. Corinth. cap. 13. v. 2. dicens, Si habuerò omnem fidem istà; ut montes transferam, charitatem autem non habuerò, nihil sum: Fides autem sine Charitate ad sanctitatem non sufficit in adultis, teste eòdem Apostolo & S. Jacobo cap. 2. v. 14. Ne ergo à fidelibus pro Sancto colatur, qui non est, meritò constare etiam debet de excellentia Vitæ, hoc est, Virtutum & meritorum, Fagnanus l. cit. à n. 5.

5. An autem hæc sola sufficiat, dubitandi ratio est; quòd plus non exigatur, ut quis Sanctus sit apud Deum, juxta illud, *Esse fidelis usque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ*, Apocalyp. cap. 2. v. 10. Sed, etsi hoc sit verissimum, nihilominus; ut quis Sanctus habeatur, & ut talis solenniter proponatur hominibus in Ecclesia Militante, etiam miracula exiguntur, c. *Venerabili cit.* quia Ecclesia in testimonium excellentium meritorum apud Deum, præter alia indicia, etiam ipsa vult accedere, ut patet ex *Constitutione Gregorii IX.* quæ incipit *Cum dicat Dominus*, edita 1. Julij 1232. cujus tenorem refert Fagnanus in c. 1. cit. n. 14.

6. Excipiendi tamen sunt Martyres; in quorum Canonizatione non necessariò exiguntur, nec specialis inquisitio fit in Sanctitatem vitæ, quæ requiritur in Canonizatione Confessoris: sed sufficit; quòd constet de patratæ Miraculis & causa Passionis; quòd scilicet mortem oppetierint propter Fidem, leges Dei aut Virtutè aliquam, ut in *Summa* notat Ho-

stiens. n. 3. exponens processum Canonizationis, Azor p. 2. Institut. lib. 5. cap. 6. q. 7. in fine & Fagnanus l. cit. n. 14.

Dubium secundò est, de alicujus cum sanctitatis publica exultatione defuncti, sed in Sanctorum & Beatorum numerum Apostolicà auctoritate nondum cooperati, cultu merè privato. Quem etiam ipsi negare aliquibus vilis est Panormi. cum in c. 1. cit. n. 3. ait, non licere aliquem, etiam Miraculis in vita & post mortem editis illustrem, pro Sancto colere sine Romani Pontificis auctoritate. Eum tamen non malè alii intelligunt de cultu publico, eique totius Ecclesiæ nomine exhibito: qualis esset, si ejus imagine in Ecclesiis, Sacellis, altaribus aliisve locis posita, commemoratione in Officio Divino in & extra chorum, vel in sacrificio Missæ, invocatione in Litanis & similibus Precibus factà coleretur; cujusmodi cultum, sicut prohibitum ex c. *fin. verbis*, *Nemo publicè venerari presumat*: sic ejus honorem & cultum merè privatum permissum, argumentò à contrario ex iisdem verbis ductò, cum Glor. in c. *Unic. 7. Sed in 6.* inferunt Innocent. in c. *fin. cit. n. 1.* Ant. de Butrio *ibid. n. 6.* Sylvester *7. cit. pr.* Azor p. 1. lib. 5. cap. 8. q. 8. in fine & Bellarminus cap. 10. cit.

Quare virum, qui cum eximia Virtutis & Miraculorum fama decessit, & protellà nobis habetur, privatim Sanctum & Beatum nominare, invocare, ejus effigiem, reliquias in cubiculo aut etiam Oratorio privato venerari non prohibemur, ut cum relatis aliisque DD. docet & rem hanc accuratè explicat Sanchez *cit. cap. 43. à n. 4.*

Secundò; ne Sanctorum disciplina seu Reliquiæ exponantur venales, ab Innocentio III. sancitum est in Concilio Lateranensi c. *fin. relatò & l. Nemo 3. C. de SS. Eccles.* Ratio clara est; quia Reliquiæ Sanctorum æstimabiles tantum sunt pro-

pter relationem ad animam Sancti, qui fuit templum Spiritus sancti; ac proinde annexæ sunt spirituali: cujusmodi res pretii æstimationem non recipiunt, l. *Sacra* 9. §. 5. ff. de *Rev. divis.* & quia venditio sine pretio non consistit, l. *Inter* 2. §. 1. ff. de *contrab. emp.* vendi nequeunt sine aperta labe simoniæ, arg. c. *Cum in Jure* 16. de *Jure Patronat.* & *Querelam* 15. de *Simonia*, Glossa in c. *simon.* v. *Simonia*, ubi Holtiens. pr. Ant. de Butr. n. 8. & Vivianus pr.

10. Sed, sicut hoc omnino certum est, cum eæ ratione sanctitatis defuncti, ratione benedictionis aut alicujus fructus spiritualis ex ipsis percipiendi simpliciter vel majori pretio venduntur: ita pariter certum est, simoniacam non esse earum venditionem vel pretii auctionem ratione auri, argenti, gemmarum, quibus eæ sunt ornata: ratione antiquitatis vel in eorum asportationem aut ornatum factarum impensarum, Sanchez *cit. cap. 43. n. 20.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 10.*

Non solum ratione ornamentorum impensarumque, sed, his seclusis, vendi eumque Sanctorum Reliquias posse, evincere videntur Historiæ de Tunica inconfutuli Christi, de Reliquiis S. Ignatii M. de Ossibus S. Ecclesiæ Doctoris Augustini ab infidelibus & barbaris pretio pecuniario: & de Sanctorum Orientalium Lipsanis, à Saladino 52000. Byzantinorum redemptis, apud Baronium *ad Annos Christi* 52. 111. 725. & Matth. Paril. *Historiæ Angliæ* 1191. & multò magis comparationes Lanceæ, quæ Christi latus perforatum est, aurò & magnâ parte Sueviæ: Brachii S. Joan. Baptistæ centum & quadraginta libris argenti & alterius Brachii S. Augustini integrò auri & centum argenti talentis inter Orthodoxos celebrata, apud Raynaudum *Heteroclyt. Spirit. p. 1. f. 3. p. 8. n. 20.* & Gonzalez in c. *sim. n. 7.* Sed,

re accuratius expensâ, exempla hæc Sanctorum Reliquiarum emptionem à simoniæ labe non absolvunt; quia ab Infidelibus, Hæreticis iisque similibus & injustis detentoribus eæ non tam emptæ, quàm ab injuria & sacrilega contrectatione sunt vindicatæ: & pro iis adnumerata pecunia non tam pretium quàm instrumentum fuit redemptionis ab injusta vexatione: cujusmodi redemptionem à simonia immunem esse, arg. c. *Dilectus* 28. de *Simonia* communis sensus est DD. Inter Catholicos autem pretio facta earum comparatio aliquando heteroclitica & in invincibili ignorantia & sanctâ simplicitate fundata pietas fuit: aliquando pro iis data pecunia fuit non in vim pretii, quod extra controversiam simoniacum foret: sed antidori, sive animò liberali ejusmodi retributione testandi gratitudinem pro insigni munere accepto, ut rectè observat Raynaudus *cit. n. 20*

Tertiò antiquæ Reliquiæ è capsa seu loculo, quò reconditæ sunt, extrahi & populo ostendi prohibentur *cit. c. sim. v. Ne in posterum*, ad evitandum periculum; ne suppositis Reliquiis falsis decipiatur populus & Christianæ Religioni detrahatur. Quod vel maximè eveniret, si inde extraherentur gratiæ quæstus; ut largiores elemosynæ sive oblationes fiant; cum eò factò vilescerent Reliquiæ, & clericiavaritiæ à laicis infimularentur. Imò, si Oblationes deducerentur in pactum, aut principaliter intenderentur tanquam pretium ostensionis, ista simoniaca foret.

Quin, earum exhibitionem istius labe etiam infici, quidam volunt, cum largiores elemosynæ etiam tanquam retributio gratuita intenduntur. Quod licet verum sit, quando elemosynæ & largitiones illæ ante Reliquiarum exhibitionem exigerentur, aut postea solvendæ essent vi præviæ conventionis; cum ita præstitæ

præstitæ oblationes exhibitionis compensatio & palliatum pretium esse videantur: probabilius tamen simoniaca non foret, si absque exactioe & præviâ tacitâ vel expressâ conventionem præcisè tanquam donum gratuitum reciperentur & sperarentur vel intenderentur, *arg. can. Quam pio 1. q. 2. & c. Dilectus 30. in fine. de Simonia*; quia ita factæ elemolynæ & oblationes non habent rationem pretii, sine quo non datur emptio & venditio, *Inter 2. §. 1. ff. de Contrab. empt. ac proinde nec simonia, si spectemus istius definitionem à Glossa in Summam V. Quidam 1. q. 1. & S. Thoma 2. 2. q. 100. art. 1. traditam, & à cæteris DD. receptam.*

Quartò, *c. cit. V. Inventus* ab Innocentio Papa interdicta est publica veneratio Reliquiarum de novo inventarum: nisi prius approbatæ sint auctoritate Papæ.

13. Hac tamen in re locus est distinctioni inter Reliquias omnino novas, & antiquas alicujus Sancti de novo inventas: quarum licet priores publicæ venerationi exponi sine sedis Apostolicæ auctoritate nequeant: posteriorum tamen expositio ejus auctoritatem non requirit, si, eas alicujus Sancti antiquitus approbati esse, ex scriptura vel instrumento authentico cum ipsis reperto, vel aliunde certò constaret. Secus, si hoc esset dubium; quia, si hoc non tolleretur, locus esset dispositioni *c. cit. ut ibi cum Joan. Andr. n. 3. & Panormit. n. 1. notat Fagnanus n. 5.*

14. Neque distinctionem istam evertit, & hodie contra *c. cit.* dispositionem priorum sive omnino novarum Reliquiarum pro publica veneratione approbationem non amplius sedi illi reservatam, sed Episcopi approbationi permissam, evincitur ex decreto Tridentini *Sess. 25. de Invoocat. & Reliq. SS.* novas Reliquias sine Episcopi recognitione & approbatione

recipi & publico cultui, exponi vetantur: quia ad evitandam non necessariam correctionem Jurium id ad Reliquias Sanctorum Canonizatorum noviter inventas est restringendum; quòd si ad non canonizatorum Reliquias extendetur, ejusque vi omnino novæ sive defuncti non canonizati Reliquiæ ad publicam venerationem approbari ab Episcopo possent, illæ indirectè Sanctum Canonizare in sua diocesi valerent, contra text. *c. 1. cit. & Unanimem sensum DD.*

Neque refert; quòd Tridentini decretò ex una novæ Reliquiæ conjugatur novis Miraculis, & idem asseratur de utrisque: ex altera verò parte, id de Miraculis etiam à non canonizato editis intelligendum, S. Congreg. Card. Interpp. declarârunt ad instantiam & apud Barboam *in c. fin. cit. n. 4.* quia nihilominus decreti Conciliaris, sicut ad non canonizati nova miracula extensionem, sic etiam ad novas Reliquias Sancti jam canonizati restrictionem suadet diversitas rationis: cum inquisitionem & receptionem testimonium super alicujus non canonizati miraculis Episcopo permittat Jus commune, *arg. c. Venerabili cit.* non etiam Reliquiarum noviter inventarum pro publica veneratione approbationem: imò ad hanc Apostolica auctoritas dilerè exigatur *c. 1. cit.* Accedit; quòd hodie Episcopi, licet alicujus cum sanctitatis exultatione defuncti Miracula recognoscere & approbare valeant, eum tamen publico cultui exponere non possint: sed negotium instructum ad sedem Apostolicam transmittere debeant, ex decreto Urbani VIII *edito 13. Martii 1625.*

Dubium hic à DD. movetur an Corpora & Reliquiæ Sanctorum ab una Ecclesia ad aliam transferri ab Episcopo valeant sine sedis Apostolicæ auctoritate. Possent, antequam corpora tradita sint sepulture

pulturæ, arg. 1. Si necdum 10. c. de Reliq. & sumpt. cum Glossa in can. Corpora 37. v. Principis, dist. 1. de Consec. & Sylvestro v. Reliquia cit. n. 1. facile consentiunt plerique.

Perpetuæ autem sepulturæ jam tradita transferendi potestatem eis competere, cum Glossa cit. Principis, hoc est, ut ipsa exponit, Papæ, vult Hostiens. in Summa n. 2, arg. 1. fin. c. de Relig. & sumpt. Principis auctoritatem ad id exigentis.

16. Sed verius, etiam tales transferendi potestatem Episcopis cum Angelo v. Reliquia n. 1. Sylvestro eodem v. n. 3. & aliis adstruit Fagnanus in c. fin. cit. n. 15. eò & ut ipse ait, irrefragabili per motus fundamentò, desumptò ex Regula, Episcopo in sua diocesi generaliter tribuente, quæcunque Canonis conditor sibi expressè non reservavit; ac proinde etiam Sanctorum Reliquias transferendi potestatem; cum ista auctoritati Apostolicæ reservata non reperitur.

Verùm, quia hanc ipsam eive simillimam Regulam laudatus Interpres falsitatis arguit & latè convincit in c. Permissio- sam 1. de Offic. judicis Ordin. à n. 54. fragile, non irrefragabile est, quod ei immititur fundamentum. Unde melius ea ratio redditur; quòd Reliquiarum translatio non fit de causis Ecclesiæ Majoribus; ut Episcopis, in partem sollicitudinis vocatis, à Papa concessa non debeat censi: imò ipsis non obscure concessa videatur can. Corpora cit. ad eam Episcopi licentiam exigente, satis luculentò indicio, opus non esse Apostolica auctoritate, præsertim cum can. cit. nomine Principis non veniat Papa aliavè Ecclesiastica, sed potestas secularis: cujus non quidem auctoritate justive; cum Translationis actus sit spiritualis & rei annexæ spirituali, de qua auctoritative disponere non Secularis, sed

Ecclesiastica est potestatis, can. 1. §. Cùm- que lecta, dist. 96. c. Decernimus 2. c. Quanto 3. de Judic. Et. sed consiliò duntaxat, cum quo fieri can. Corpora cit. jubetur, præsertim; cùm Sancti Reliquiæ donò aut cooperatione Principis Ecclesiæ obvenirent: & de Jure potest; cùm, qui consilium petere, non hòc ipsò etiam id sequi teneatur, c. Cùm olim 7. de Arbitr. Glossa in c. Cùm in veteri § 2. v. Expellatum, de Elect.

Neque Episcopis obstat S. Synodi Trident. Sess. 25. Decretum de Invocat. & Reliq. Sancti. Et. quia istò illorum auctoritati nihil detractum: sed potius, quoad recognoscendas & approbandas de novo inventas Sanctorum antè canonizatorum Reliquias ea, quæ Jure communi non ita clarè competeat, potestas confirmata & aucta est, ut rectè observat Fagnanus in c. fin. cit. n. 5. & 23.

Episcopo tamen ad Sanctorum Reliquias saltem notabiles, ab una Ecclesia àd aliam transferendas, necessaria est justa causa & consensus Capituli; cùm; quòd hoc can. corpora cit. nomine Synodi venire existimet Turrecremata & alii arg. can. Placuit, 12. q. 2. ubi idem Capitulum, sive majoris Ecclesiæ clerici congregati, Concilium nuncupantur: tum verò, & multò magis; quia ipsarum translatio est species quædam alienationis, præter justam causam etiam ejusmodi clericorum, sive Capituli consensum exigentis, can. Sine exceptione q. cit. c. 1. Et. de lit. qua à Pralat. Fagnanus in c. fin. cit. à num. 30. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 12.



T t t t

TITV.